



Per.  
Lat  
020

Prodit Budapestini VIII., Szentkirályi-u. 28. Calendis et Idibus cuiusque mensis, excepto Iulio et Augusto. — Pretium annuae subscriptionis: 4 coronae, in Germania 5 M., in Gallia 5 F. 25 c. □ □ Prostat Parisiis in aedibus Croville-Morant, 20 rue de la Sorbonne. — Teleph. 49—21. □ □

## Henricus Sienkiewicz

huius temporis nobilissimus Polonorum scriptor, in Regno Polono (Polonia Russica) a. 1846. natus est. Studiis philosophicis in Varsaviensi Universitate absolutis totam fere Europam peragravit, maiorem Africae partem lustravit,<sup>1</sup> in America vero quattuor annos est commoratus.<sup>2</sup>

Compluribus fabellis popularibus scriptis, in quibus haud<sup>3</sup> mediocres<sup>4</sup> ingenii ac formae virtutes cernuntur, Polonorum animos gravissime permovit, cum tres maximas fabulas historicas: *Igni ferroque* (Ogniem i mieczem), *Diluvium* (Potop), *Dominum Wołodyjowskium* (Pan Wołodyjowsky) exaravit.<sup>4</sup> In manibus excellentissimi scriptoris equites fortissimi Polonorum XVII. s. ad vitam revocati<sup>5</sup> sunt. Quas fabulas «firmandorum — ut ipse dicit — et re-



creandorum animorum causa» composuit. Quamobrem haec opera, quibus auctor pulcherrimum temporis acti monumentum posuit, ab universis Polonis summo studio<sup>6</sup> excepta sunt. Cum Polonorum persecutiones<sup>7</sup> increbrescerent,<sup>8</sup> in *Cruciferis*<sup>9</sup> (Krzyzacy) praeclara suae patriae XIV. s. tempora nec non perversum<sup>10</sup> animum eorum, quorum posterius nunc eam vexant et cruciant, oratione splendida expressit.


Quantam autem laudem his fabulis sibi Sienkiewiczus apud suos pepere-  
rat,<sup>11</sup> tantam pulcherrima atque optima «Quo vadis?» fabula, cuius argumentum<sup>12</sup> in unoquoque fere «Iuventutis» numero legitis, ubique gentium est consecutus.

Longum est plurima eius vel maiora

1 bejár 2 tartózkodik 3 kiváló 4 «teremt» 5 kelt  
6 lelkesedés 7 üldözés 8 fokozódik 9 keresztes  
10 gonosz 11 szerez 12 tartalom

enumerare opera (fabulae populares psychologicae, sociales, historicae, descriptiones peregrinationum, narrationes in usum iuventutis etc.). In omnibus egregium videmus artificem, qui animi hominis minime est ignarus.

Nemo fere toto orbe terrarum, nisi indoctus incultusque est, quin huius ingenio singulari poetæ unam saltem, potissimum autem «Quo vadis?» fabulam legerit aut ignoret. Singula eius operâ vehementissime expectata uno<sup>13</sup> fere<sup>13</sup> eodemque<sup>13</sup> tempore in diversas linguas conversa prodeunt.<sup>14</sup> Nullus scriptor apud Polonos a pluribus aut maiore studio legitur, quam Sienkiewiczus, qui hoc modo magnas facultates<sup>15</sup> paravit, famam et gloriam est consecutus, singularem habet ubique admirationem, quin etiam animos et amorem suorum conciliavit: dilexit enim omnia, quae pulchra, vera et bona sunt et propter unicum ac singularem patriae suae infelicis amorem. Itaque et a populo large<sup>16</sup> donatus et apud externos ob haec de litteris merita praemium Nobelianum nactus<sup>17</sup> est.



### Pater, filius et asinus.

Pater senex et filius adolescentulus venalem<sup>1</sup> asellum, nullâ sarcinâ<sup>2</sup> gravatum<sup>3</sup> ad nundinas<sup>4</sup> agebant. Hos intuens<sup>5</sup> arator irridere coepit: «Ut paedagogi<sup>6</sup> tenellos<sup>7</sup> heros<sup>7</sup> solent, ita vos asinum inanem<sup>8</sup> ducitis». His dictis commotus pater filium conscendere<sup>9</sup> iussit.


Alius illis obvius<sup>10</sup> reprehendit<sup>11</sup> senem, quod filium vehi<sup>12</sup> sineret, ipse iter pedibus faceret. His dictis commotus pater filium descendere iussit, ipse insedit.

Incolae vici<sup>13</sup> notare<sup>14</sup> coeperunt senem, quod virenti aetate vir ipse veheretur, filium

Quamquam autem agere nequâquam<sup>18</sup> desiit,<sup>19</sup> tamen nominis sui memoriam et apud suos et apud omnes, qui vero pulchroque delectantur, iam nunc immortalitati tradidit.

Lad. Lud. Podobiński.

<sup>13</sup> egyszerre <sup>14</sup> megjelenik <sup>15</sup> vagyon <sup>16</sup> gazdagon  
<sup>17</sup> nanciscor kap <sup>18</sup> egyáltalában nem <sup>19</sup> megszűnik.



### LECTARIIBUS MINIMIS.

Sunt cives pöpulus,<sup>1</sup> celsissima pöpulus<sup>2</sup> arbor.

\*

Sus fit amica luto:<sup>3</sup> lütum<sup>4</sup> color aureus esto.

\*

Oblitus<sup>5</sup> unguentis<sup>6</sup> et non oblitus<sup>7</sup> amoris.

\*

Occidit<sup>8</sup> latro; verum sol occidit<sup>9</sup> almus.<sup>10</sup>

<sup>1</sup> nép <sup>2</sup> nyárfa <sup>3</sup> sár <sup>4</sup> sárga <sup>5</sup> oblinó beken  
<sup>6</sup> kenőcs <sup>7</sup> oblitiscor megfeledekzik <sup>8</sup> öl <sup>9</sup> lenyugszik  
<sup>10</sup> tápláló

tenerum pedibus ire cogeret. His dictis commotus filium asini clunibus<sup>15</sup> post se iubet insilire<sup>16</sup> atque onere duplicato vehi.

Ibi tum viator misericordiā<sup>17</sup> asini commotus: Valde, ait, vile<sup>18</sup> hoc animal vobis est. Cur id duorum corporum onere perdere vultis? His verbis adducti decreverunt inter pedes colligatos<sup>19</sup> supini<sup>20</sup> aselli palum<sup>21</sup> indere et humeris pendulum<sup>22</sup> ferre.

Qui hoc spectaculum<sup>23</sup> singulare<sup>23</sup> viderunt, risu paene mortui sunt, qua re iratus senex asellum ab aggere<sup>24</sup> alto in flumen praecipitavit.<sup>25</sup>

Plerumque, qui placere cunctis studet, et ipse se laedit nec satis cuiquam placet.

F. Gray, Londinum.

<sup>1</sup> eladó <sup>2</sup> teher <sup>3</sup> megterhel <sup>4</sup> vásár <sup>5</sup> néz  
<sup>6</sup> nevelő <sup>7</sup> zsenge úrfi <sup>8</sup> meg nem terhelt <sup>9</sup> felszáll  
<sup>10</sup> szembejövő <sup>11</sup> dorgál <sup>12</sup> visz <sup>13</sup> falu <sup>14</sup> kifogásol  
<sup>15</sup> comb <sup>16</sup> ráugrik <sup>17</sup> szánalom <sup>18</sup> olcsó <sup>19</sup> összeköt  
<sup>20</sup> hanyattfekvő <sup>21</sup> rúd <sup>22</sup> függve <sup>23</sup> páratlan látvány  
<sup>24</sup> töltés <sup>25</sup> letaszít.

Os, *oris* loquitur, sed os, *ossis* roditur<sup>11</sup> ore.

\*

Pendēre<sup>12</sup> vult iustus, sed non pendēre<sup>13</sup> malignus.<sup>14</sup>

\*

Si qua sēde<sup>15</sup> sēdēs,<sup>16</sup> atque est tibi com-  
moda<sup>17</sup> sēdes,  
Illā sēde sēdē, nec ab illā sēde recēde.<sup>18</sup>

\*

Est in veste sīnus:<sup>19</sup> sīnus<sup>20</sup> vas lactis<sup>21</sup> ha-  
betur.

\*

Merx<sup>22</sup> nummis vēnīt:<sup>23</sup> vēnit huc aliunde<sup>24</sup>  
profectus.

\*

Vēnīmus<sup>25</sup> hesternā,<sup>26</sup> ast hodierna luce<sup>27</sup>  
vēnīmus.<sup>25</sup>

### De cognatione.<sup>28</sup>

*Agnati* patris, *cognati* matris habentur.

Dic *patruos*<sup>29</sup> patris fratres: *amitasque*<sup>30</sup>  
sorores.

Frater *avunculus*<sup>31</sup> est, soror est *matertera*<sup>30</sup>  
matris.

Quos generant fratres natos, dices *patrueles*.<sup>32</sup>  
Sed *consobrinos*<sup>32</sup> dic, quos peperere sorores.


Vir natae *gener*<sup>33</sup> est; *nurus*<sup>34</sup> autem femina  
nati.

Uxoris genitor *socer*<sup>35</sup> est: *socrusque*<sup>36</sup> genitrix.  
*Vitricus*<sup>37</sup> haud aequus pater est, materque  
*noverca*<sup>38</sup>

Ipsē viri frater *levir*<sup>39</sup> uxor quoque fratris  
*Fratria*:<sup>40</sup> *glos*<sup>40</sup> uxor fratris, soror atque  
mariti.

Collegit: Lud. Losonczy dr.

11 rág 12 fizet 13 lóg 14 gonosz 15 sedes, is, f.  
szék 16 sedeo ül 17 kényelmes 18 tágít 19 ránc  
20 edény neve, sīnus 21 tej 22 árú 23 elkel 24 más-  
honnán 25 vēnīmus jöttünk, vēnīmus jövünk 26 teg-  
nap 27 fény, nap 28 rokonság 29 nagybátya 30 nagy-  
néni 31 nagybátya (anyai ágon) 32 unokaöcs 33 vő  
34 meny 35 após 36 anyós 37 mostohaanya 38 mos-  
tohaanya 39 sógor 40 sógornő.



*Crocodylus* in fluviis Africae ad longi-  
tudinem septem metrorum crescit, sed etiam

## Alexandri Petőfi carmen «Egy gondolat bánt engemet».

Latine convertit Guilelmus Lehmann Vratislaviensis.

Hoc unum summo mihi fit dolori:  
In lecto molli culcitraque<sup>1</sup> mori!  
Perire sensim,<sup>2</sup> sicut flos inermis  
Flaccescit<sup>3</sup> vere, si radicem rodit<sup>4</sup> vermis,<sup>5</sup>  
Tabescere,<sup>6</sup> fax<sup>7</sup> velut vacuo  
Vastoque tabet<sup>8</sup> in cubiculo —  
Ne sic me siveris<sup>9</sup> obire,  
O Deus, neu sic interire!  
Sed arbor sim vi fulminis percussa<sup>10</sup>  
Eversa<sup>11</sup> que procellis<sup>11</sup> et discussa;  
Sim saxum, Noti<sup>12</sup> quod sub impetu  
Devolvitur cum truci crepitu<sup>13</sup> ...  
Cum servi cuncti frangent compedes,<sup>14</sup>  
In acies  
Vexilla<sup>15</sup> rubra ferent fervidi<sup>16</sup>  
Ac dimicandi summe cupidi —  
Vexillis cum «Libertas» nuntiabitur  
Et ubicumque celebrabitur

Tubarum sono<sup>17</sup> turbidissimo<sup>17</sup>  
Nec cedit<sup>18</sup> pugnae dominatio:<sup>19</sup>  
Tum mihi confligendum<sup>20</sup>  
Sit ac cadendum;  
Tum sanguis meus effundatur —  
Et, dum mors gaudio meo salutatur,  
Armorum furor stridor<sup>21</sup> cornuumque<sup>21</sup>  
Clamorem meum vincat iubilumque;<sup>22</sup>  
Et super me demortuum  
Grex totus agminum  
Ad Martem<sup>23</sup> proruat petitem<sup>23</sup>  
Me nihil curans pedibus obtritum<sup>24</sup> —  
Hic ossa mea legite,  
Cum venerit sollemne<sup>25</sup> funebre,  
Quo sub atratis<sup>26</sup> vexillorum velis<sup>26</sup>  
Tubicinum sonantibus<sup>27</sup> querelis<sup>27</sup>  
Condentur viri fortes socii<sup>28</sup>  
Pro te, libertas sancta, mortui!

1 párna 2 lassankint 3 hervad 4 rág 5 féreg 6 sorvad 7 «gyertya» 8 fogy 9 sino<sup>3</sup> 10 sujt 11 vihar  
12 déli szél, «szélvész» 13 zúgás, «mennydörgés» 14 bilincs 15 zászló 16 lelkes 17 kúrtharsogás 18 enged  
19 zsarnokság 20 megütözik 21 trombita hangja 22 öröm 23 diadal 24 összetapos 25 sollemne, is, n. 26 gyász-  
fátyolos 27 gyászzene 28 socius<sup>3</sup>.

in lacubus<sup>1</sup> invenitur. In Aegypto totum fere genus extinctum<sup>2</sup> est. In aqua com-



mode<sup>3</sup> se movet, in terra inhabilior est. Sensus oculorum atque aurium minime hebetes<sup>4</sup> sunt, vigor animi obtusus.<sup>5</sup> Hominem timet quidem, sed in aqua tamen in eum invehitur. Crocodilus femina 20—90 ova parit, anserinis<sup>6</sup> similia, quae in arena posita religiose custodit. Caro, quae moschum<sup>7</sup> redolet<sup>7</sup> atque ova, quae cuppedia<sup>8</sup> habentur, ab indigenis<sup>9</sup> summa cum voluptate comeduntur.

1 tó 2 kiirt 3 ügyesen 4 tompa 5 buta 6 liba  
7 mosuszzagú 8 nyalánság 9 benszülött.




Ashton militum praefectus Britannus in palaestra<sup>1</sup> Salisburyana evectus aream aliquoties perite<sup>2</sup> circumvolavit. Descensus motorem quem dicunt inhibuit,<sup>3</sup> tum in terram delapsus est, ubi machina porro<sup>4</sup>

volvebatur.<sup>5</sup> Eodem<sup>6</sup> vestigio<sup>6</sup> quattuor vel quinque milia hominum in palaestram ruebant. Ashton motore deficiente<sup>7</sup> impotens erat machinae gubernandae, quae in multitudinem irruit. Adulescens septemdecim annorum et discipulus quidam tam vehementer sauciabatur, ut exspiraverint. Praeter hos duo milites et mulier quaedam graviter vulnerati, machina deleta<sup>8</sup> est.

**Iuxta Londinium** Fisher aëronauta subvolaturus erat, cum ab Americano quodam, nomine Mason rogabatur, ut secum iter facere liceret. Vixdum<sup>9</sup> aëroplanum in altitudinem ducentorum metrorum attollebatur, motore vitiato<sup>10</sup> machina decidit. Fisher sellā excussus<sup>11</sup> calvariae<sup>12</sup> fracturam<sup>12</sup> accepit, Mason autem sub aëroplanum iactus est, cuius benzino disploso machina ignem concepit. Dum auxilium affertur, utrique mortui sunt.

**In Russiae urbe** Censtochow Kaminski aëronauta e viginti metrorum altitudine delapsus est; machina fracta, ipse graviter sauciatus est.

1 repülötér 2 ügyesen 3 elállít 4 tovább 5 gurul  
6 abban a percben 7 nem működik 8 elpusztít  
9 alighogy 10 sérül 11 kilódít 12 koponyatörés.



**Calamitatis horrendae** nuntius Parisiis affertur. Duae vecturae<sup>1</sup> inter se concurrerant, qua re tribus plaustris<sup>2</sup> elisis<sup>3</sup> vectores tredecim necati, circa quinquaginta vulnerati sunt. Calamitas orbitae<sup>4</sup> declinatricis<sup>4</sup> vecte<sup>5</sup> ordinante<sup>5</sup> fracto facta esse nuntiatur.

**Fridericus VIII.** Daniae rex ab Italiae litoribus<sup>6</sup> amoenis,<sup>6</sup> ubi hiemabat,<sup>7</sup> domum iter facturus Hamburgi quietem sumpsit. Ibi subitā cordis<sup>8</sup> resolutione<sup>8</sup> annum agens septuagesimum vitam posuit. Friderico VIII.,

1 vonat 2 kocsi 3 összezúz 4 kitérősin 5 szabályozórúd 6 Riviéra 7 telet 8 szívszélhűdés

qui sex annos regnabat, filius Christianus X. successit.

**Augustus Strindberg** Suecorum<sup>9</sup> poeta clarissimus annum agens sexagesimum tertium mortuus est. Ut plerique scriptorum celebrium, et ille nisi post longinqua<sup>10</sup> studia se ad libros conscribendos contulit.



Nullis unquam legibus, nullis scribendi praeceptis parebat, immo etiam non raro instituta et antiquitas<sup>11</sup> tradita ludibrio<sup>12</sup> habebat,<sup>12</sup> quamobrem patria carere cogebatur. Plurimum temporis in Germania et Helvetia egit, ubi praeclara sua opera confecit.

Minima pars eorum digna est, quam lectoribus nostris commendare possimus.

**Viridarium**<sup>13</sup> novum Budapestinense coram<sup>14</sup> multitudine decem milium hominum sollemniter apertum est. Omnes, qui aderant, summis laudes cumulabant<sup>15</sup> in eos, qui hoc opus utile perfecerunt. Omnium generum ferae, quae ibi pascuntur, non ut antea, clausae sunt, verum ob oculos spectantium libertate uti videntur.

**Mallada** speculae<sup>16</sup> Vesuvianae moderator<sup>17</sup> cum servo suo in os<sup>18</sup> Vesuvii fune<sup>19</sup> centum quadraginta metra longo se demisit. In CXX metrorum altitudine scrutatores<sup>20</sup> intrepidi in saxa ingentia inciderunt,<sup>21</sup> quibus adminiculis<sup>22</sup> usi fune altero centum metris altius descenderunt, ubi duas horas commorabantur. Inde in diversa foramina<sup>23</sup> restibus<sup>19</sup> thermometra demiserunt, quae retracta calorem 90—98 graduum indicabant. Oris<sup>18</sup> ipsius profunditatem<sup>24</sup> ad trecenta metra arbitrantur. Prae vaporibus emanantibus<sup>25</sup> et calore vix tolerando duo viri diutius infra perdurare nequibant. Cum per saxa prominentia<sup>26</sup> funibus retro eniterentur,<sup>27</sup> lapidibus discedentibus<sup>28</sup> paene reiecti sunt.

**Ioannes Hays Hammond** legatus Americanus cum sociis Budapestinum venit, ut rerum<sup>29</sup> publicarum<sup>29</sup> curatores<sup>29</sup> certiores<sup>30</sup> facerent<sup>30</sup> fore ut in urbe<sup>31</sup> Sancti<sup>31</sup> Francisci<sup>31</sup> anno MCMXV. gentium<sup>32</sup> res<sup>32</sup> spectandae<sup>32</sup> propalam<sup>32</sup> collocarentur.<sup>32</sup> Cuius rei sociam etiam Hungariam invitabant

virii amplissimi, quibus archidux Iosephus — rege absente eiusque nomine — sui<sup>33</sup> potestatem<sup>33</sup> praebuit,<sup>33</sup> tum a summae<sup>29</sup> rerum<sup>29</sup> praefectis<sup>29</sup> ad epulas sollemnes vocabantur.

**Vidua Eduardi André** nuper Parisiis mortua litterarum Academiae Parisinae testamento legavit omnia sua bona, inter quae domum splendidam cum artis<sup>34</sup> operibus<sup>34</sup> et ingentem vim pecuniae. Totum legatum tricies<sup>35</sup> millena<sup>35</sup> milia<sup>35</sup> aequare<sup>36</sup> dicitur. Reditus<sup>37</sup> pecuniae ipsius sunt sescenta milia Fr.

**In Hungariae** partibus ad<sup>38</sup> orientem<sup>38</sup> spectantibus<sup>38</sup> inter urbes Dés et Beszterce, in centum chiliometrorum longitudine vici<sup>39</sup> florentes multi erant ante aliquot dies. Nunc nullus superest vicus integer: quattuor solo<sup>40</sup> aequati,<sup>40</sup> reliqui tota valle lacerati, vitiatii turbine<sup>41</sup> illo terribili, qui aliquot momentis mille domos prostravit,<sup>42</sup> quinque tantum rusticorum ad summam inopiam redegit. Miseris undique succurritur, pecuniae resque aliae necessariae conferuntur; rex apostolicus octoginta milibus coronarum inopiae opitulatus<sup>43</sup> est.

<sup>9</sup> svéd <sup>10</sup> hosszas <sup>11</sup> ős idők óta <sup>12</sup> kigúnyol <sup>13</sup> állatkert  
<sup>14</sup> előtt <sup>15</sup> halmoz <sup>16</sup> obszervatórium <sup>17</sup> vezető  
<sup>18</sup> kráter <sup>19</sup> kötél <sup>20</sup> kutató <sup>21</sup> rábukkan <sup>22</sup> támasz  
<sup>23</sup> nyílás <sup>24</sup> mélység <sup>25</sup> kiárad <sup>26</sup> kinyúlik <sup>27</sup> mászik  
<sup>28</sup> «letöredezik» <sup>29</sup> kormányférfiú <sup>30</sup> értesít <sup>31</sup> San-Francisco  
<sup>32</sup> világhiállítást rendez <sup>33</sup> kihallgatást ad  
<sup>34</sup> műkines <sup>35</sup> 30,000.000 <sup>36</sup> fölér <sup>37</sup> jövedelem  
<sup>38</sup> keleti <sup>39</sup> falu <sup>40</sup> a földdel egyenlővé tesz <sup>41</sup> vihar  
<sup>42</sup> leterít <sup>43</sup> segítségére van.

## Quo vadis? XXV.

Ad narrationem *Henrici Sienkiewiczii* latine scripsit  
*Adalbertus Danczer.*

Homines cum bestiis conglobati<sup>1</sup> iacebant. Membra Christianorum dilacerata ubique spectabantur; arena fuso<sup>2</sup> sanguine madens<sup>3</sup> erat.

Silentium altissimum plebis abiectae<sup>4</sup> sanguinemque appetentis nisi ululatu et concentu mirabili interrumpebatur.<sup>5</sup> Ex oribus vulneratorum et morientium «Pro Christo! Pro Christo!» vox sola audiebatur.

Spectatores sanguine effuso<sup>2</sup> velut in-

<sup>1</sup> összekeveredve <sup>2</sup> kiont <sup>3</sup> nedves <sup>4</sup> elvetemült  
<sup>5</sup> megszakít

ebriati<sup>6</sup> nunc minaciter<sup>7</sup> leones posebant ac flagitabant. Postulantibus ne ipse Caesar quidem resistere ausus est; signo lato ffores



cuniculi<sup>8</sup> aperiebantur, per quas fulvi<sup>9</sup> leones immanis magnitudinis passibus gravidis in arenam intro-mittebantur.

Bestiae immanes fame enectae<sup>10</sup> curo-risque avidis-simae illico victimas<sup>11</sup> arri-puerunt et praedā onustae saltibus magnis per

arenam discurrebant. Multitudo sanguine caedisque iam saturata<sup>12</sup> nunc fragore<sup>13</sup> os-sium rugituque<sup>14</sup> terribili leonum delecta-batur...

Petrus Apostolus in summo amphitheatri gradu stans incredibili dolore spectabat suos et corpora laceratorum cruenta.<sup>15</sup> Nemo eum cernebat...<sup>16</sup>

— Domine, fiat voluntas tua — murmu-rabat secum; — tu mihi custodiendos tradi-distis illos et nunc ego reddo tibi omnes. Sine<sup>17</sup> Domine, ut gaudiis in te perfruantur<sup>18</sup> aeternis!...

Multi vulneratorum et morientium oculos in Apostolo defixos tenebant. Ille autem braccia super illos extendens<sup>19</sup> benedixit illos, qui signum crucis aspicientes, quamquam summis cruciatibus<sup>20</sup> animo<sup>21</sup> aequo<sup>21</sup> paratoque e vita excedebant.

Inceptum<sup>22</sup> Petronii, ut Lygiam quovis modo e carcere liberaret, nequaquam<sup>23</sup> successit, quamquam custodes auro corrupti erant, nox autem ad abducendum aptissima videbatur.

Sed paulo post e Nazario, filio viduae comperit, Lygiam simul cum Urso media nocte in carcerem Esquilinum esse translatam. Petronius his auditis tantopere afflictus

est, ut iuvenem ne consolari<sup>24</sup> quidem tentarit...

Ludi propter imbres continuos per aliquot dies intermissi,<sup>25</sup> sed mox eo maiore splendore instaurati sunt. Christiani armis instructi<sup>26</sup> dimicare cogebantur cum bestiis. Sed spes spectatores fefellit: omnes armis abiectis se invicem<sup>27</sup> amplexi nihilque de resistendo<sup>28</sup> cogitantes spiritum exhalabant.

Spectaculum vero longe splendidissimum Christiani crucibus affigendi praebituri erant.

In arena ordine scrobes<sup>29</sup> fodiebantur, et mox Christiani nudi crucibusque onerati apparebant, quorum plerique, sicut victimae floribus ornati erant. Inter miserrimos in cruce figendos erat etiam Crispus senex, capite rosis cincto. Os vultusque eius ardore<sup>30</sup> quodam sancto renidebat.<sup>31</sup> Et ut erat vir semper ad mortem pro Christo paratus, nunc cum horam novissimam<sup>32</sup> appropinquare sentiret, non solum ipse gaudio exsultabat, sed et sociorum animos ad moriendum accendens et confirmans in genu procubuit et humili<sup>33</sup> corde exaudiebat verba, quibus Paulus Apostolus damnatos consolatus est...

Interea cruces innumerabiles in arena iam constitutae erant. Arena prae crucibus densae silyae simillima erat. Cum aliis mox etiam Crispus cruci affigebatur.

Spectantes ob magnum numerum victimarum miserrimarum horrore perfundebantur. Solum Caesarem taedebat<sup>34</sup> huius spectaculi...

Et nunc Crispus iam semianimis in cruce pendens repente torvos<sup>35</sup> oculos in Nerone fixit et ex imo pectore gemitum ducens haec per arenam et circum intonabat:<sup>36</sup>

— Vae tibi matricidae! Flagitiis ac scele-ribus taeterrimis<sup>37</sup> iam modum transcendisti;<sup>38</sup> timoribus et cruciatibus mox tor-queberis, qui exsecratus<sup>39</sup> es et iam devotus.<sup>39</sup> Vae tibi matricidae!

6 ittas 7 fenyegetőleg 8 földalatti folyosó 9 sárga  
10 agyonkínoz 11 áldozat 12 jóllakott 13 ropogás  
14 ordítás 15 véres 16 lát 17 sino 3 enged 18 élvez  
19 kinyujt 20 kínzás 21 nyugodtan 22 vállalkozás  
23 sehogysem 24 vigasztal 25 félbeszakít 26 föl-szerel 27 kölesönösen 28 ellentáll 29 gödör 30 hév  
31 ragyog 32 utolsó 33 alázatos 34 ún 35 «szúró»  
36 hallat 37 rút 38 áthág 39 átkozott

In silentio altissimo omnium ora in Crispum et Nerōnem erant conversa. Augustiani se ne commovere quidem ausi sunt. Chilon vero statuae lapideae simillimus sedebat. Populus spiritum compressit.<sup>40</sup> Nil nisi gemitus morientium et strepitus<sup>41</sup> levissimus florum audiebatur, qui de capitibus morientium cadebant... Neroni, qui toto corpore contremiscebat, orbiculus<sup>42</sup> quoque smaragdinus e manibus elapsus est...

<sup>40</sup> visszafajjt <sup>41</sup> zizegés <sup>42</sup> szemüveg.



**Artifex** quondam peritissimus omnia imitari poterat. Ei nauta vestem et pannum<sup>1</sup> fert. «Fac mihi», inquit, «ex hoc panno vestem huic similem.» Vestis autem antiqua et lacera<sup>2</sup> fuit.

Artifex vestem confecit, deinde cultro<sup>3</sup> eam accidit.<sup>4</sup> Tum ad nautam tulit. «Hic est — inquit — vestis tua nova. Eam veteri similem feci.»


Tum nauta maxime iratus est, sed artificem culpāre<sup>5</sup> non poterat. Dicerat enim: Vestem mihi fac veteri similem.

*M. Doran (Lancashire).*

**Iosephus Listerus**, illustrissimus ille medicus Britannus, cuius labores et summa de genere humano merita nuper (Num. XIV.) enarravimus, aliquando media<sup>6</sup> nocte<sup>6</sup> ad hominem divitem aegrotantem citatus esse fertur, qui id<sup>7</sup> usque<sup>7</sup> agere<sup>7</sup> videbatur, ut morbus suus gravior et periculosior, quam erat, crederetur. Aegrotus desperate gemens<sup>8</sup> medicum excepit his verbis: «Ah, vir doctissime, pessime me habeo; me mori puto». Listerus, postquam corpus hominis diligentissime perscrutatus<sup>9</sup> est, importune<sup>10</sup> quidem ac sine misericordia interrogavit illum: «Fecistine iam testamentum?» — «Non feci; aegrotus respondit pallore<sup>11</sup> perfusus, «censes<sup>12</sup> igitur me...?» — «Quid nomen est signatori<sup>13</sup> tuo?» — «N. N.; sed, carissime domine...» — «Eum ad te vocari iube!» —

«Atqui,<sup>14</sup> vir doctissime, oro<sup>15</sup> te atque<sup>15</sup> obsecro,<sup>15</sup> in hac mea aetate...» «Fac iubeas, inquam illum vocari atque etiam patrem tuum et filios!» — «Ergo moriendum mihi est?» — «Non est», inquit Listerus, «at egomet nolo unicus esse asinus, quem hac nocte e lectulo<sup>16</sup> exegisti...»<sup>16</sup> *Guil. Lhm. (Vratisl.).*

<sup>1</sup> posztó <sup>2</sup> rongyos <sup>3</sup> kés <sup>4</sup> vág <sup>5</sup> hibáztat <sup>6</sup> éjfélkor <sup>7</sup> azon volt <sup>8</sup> sóhajjt <sup>9</sup> megvizsgál <sup>10</sup> kelletlenül <sup>11</sup> sápadtság <sup>12</sup> vél <sup>13</sup> jegyző <sup>14</sup> mégis <sup>15</sup> kérve-kér <sup>16</sup> ágyból kizavar.



I.

OMNIBUS.

1 2 3 4 5 6 7

E litteris his omnibus  
Latinae vocis «*omnibus*»  
compone tu velociter  
vocabula viginti ter!  
Ut: non, nimbosus, nomino,  
ius, bubo, misi, missio...

*Augusta Bélyei (Budapest).*

II.

«Aspice pater, summam! Iam mille vocabula didici.»

Vocabulis in ordinem digestis hexameter efficitur.

*Eadem.*

III.

Litterae ita disponuntur, ut dextrorsum et deorsum lectae significant: 1. verbum, 2. nomen substantivum, 3. adverbium, 4. praepositionem, 5. consonantem.

*F. Szabó (Agria).*


l	l	x	x	t
e	e	e	e	
t	c	c		
i	i			
u				

IV.

1. 4. 5 animal rodens
2. 3. 4. 5 mulier grandaeva
2. 7. 4. 5 pater patris
6. 2. 4. 5 hanc appete!
8. 4 non ego.

*N. Lenqyel (Nagyszeben).*

V.



### Solutiones aenigmatum numeri 17.

I. Mē tremor | īnvāsiť maēstūs sine | sānguine | stābam. — II. Neptunus. — II. Iocus, umbra, limen, imber, ultra, satur, casus, aetas, ensis, socius, artus, ramus = Iulius Caesar. — IV. Sucus. — V. Napoleon.

**Aenigmata recte dissolverunt:** E. Adler Lőcse, F. Baltard Paris, I. Bauer Keszthely, Augusta Bélyei Budapest, L. Böhm Keszthely (atramento scribe, mi fili!), A. Bubnó Eperjes, P. Ceretti Napoli, A. Cseh Gyulafehérvár, A. Czacher Kalocsa, S. Dencs Keszthely, I. Draser Vindobona, L. Drégely Budapest, F. Eile Lwów, I. Fehrentheil Gyergyószentmiklós, Ch. Fowler London, G. Horay Temesvár, Z. Jakubowski Lwów, L. Jatak Eger, L. Kajaba Nagyvárad, E. Kallós Losonc, T. Kindler Lwów, E. Kinszky Budapest, L. Kiss Dés, M. Kohane Lwów, M. Kordzik Leopoli, V. Korn Lwów, I. Kováts Budapest, A. Marszatkowicz Leopoli, St. Miarczyński Leopoli, Michel Andecavis Gallia, G. Mitosinka Érsekújvár, I. Nagy Gyöngyös, N. Németh Agria, Pop et Marian Blasium, T. Prysłak Lwów, C. Raile Futak, I. Schneider Leopoli, L. Schneider Budapest III., Soproniensis gymnasiū O. S. B. discipulī V. cl., A. Szabó Budapest-Kőbánya, F. Szabó Eger, L. Szarka Kisujszállás, C. Szecsei Eger, T. Szumowski Lwów, Gisella Tarczay Bariłovic, Eug. Tucker Budapest III., A. Tulipán Munkács, C. Wiszt Nagyvárad, Władysława Wyczynska Lwów, B. Buchert et O. Wiklund Helsingforsia, A. Herman Leopoli, A. a Korchmáros Budapest, F. Mantz Magyaróvár, C. Terts Budapest, Fr. Totis Budapest.

Praemium Andreae Bubnó sorte obvenit.

### Libri ad moderatorem missi.

*Le Sport, sa définition, son but.* Par I. Bonnet, professeur de l'université. Angers, 40. rue du Cornet et rue St. Laud. Prix Fr. 0.50. Con-

citatis, tamen brevibus verbis de corporis exercitationum finibus edocemur hoc libello, quem omnibus huius rei amicis vehementissime commendamus.

*Étude morphologique* sur les pronoms personnels dans les parler actuels du Nivernais, thèse pour le doctorat ès lettres. 1912. Paris, Champion, 5. quai Malaquais. Prix 15 fr.

*Monographie phonétique* du parler de Chaulgnes (Nievre), 1912. ibidem, pr. 15 fr.

Jean-Marie Meunier celeberrimus ille et sagacissimus linguae Latinae Gallicaeque investigator, cuius nomen etiam extra fines patriae suae longe lateque vagatur, his novissimis operibus recentem sibi cumulum gloriae attulit.

*Devoirs de Vacances* par H. Muffang, I. Bonnet, Gaudier, C. Piet, I. Tourriol. Angers (France), Librairie Germain & G. Grassin, 60 Centimes. (Libelli, quibus disciplinae, quae in gymnasiis scholisque realium tractari solent, accurate ordinateque continentur. Materia cuiusque libelli in singulos dies distributa est. Iucundiora utilioraque temporī feriarum haud invenias.)



Franciscus Sz. Fortasse publicabitur. — Leonidas W. Tu pretium subscriptionis solvisti, itaque non de te agebatur. Qui enim admoniti administratori nondum miserunt pretia subscriptionis, scholarum rectoribus indicantur. Si tegumentum Iuventuti desideras, adeas bibliopegum Gézam Weichnerum. IV., Aranykéz-utca 4, qui tibi pretio coronae tegumentum mittet. — L. Huszár. Bona, sed facilia misisti. — Alexander Kudlicska. Pro aetate tua optime scribis latine. Prima pars aenigmatum pulchre delineata est, altera minus. — Septemdecim equi. Iam prodiit. — Nicolaus N. Sagaticeer, sed facile composuisti aenigma. — Alexander G. Agria. Res ingeniosa, sed enuntiatum illud non est proverbium Latinum. Recte: «Qui fodit caveam, incidet in eam». — Valentinus F. est O. S. B. — Zoltanus H. Seriuscule tua mihi reddita sunt, vir doctissime. — Eugenius R. (Arad). 1. Ut in prima quoque pagina Iuventutis legi potest, Iulio et Augusto nulla dicitur. 2. Lingua Latina fastorum libelli, quantum quidem scio, non prodeunt, praeter fastorum tabelam, quae Budapestini in aedibus Lampelianis (An-rássy-út 21.) — ni fallor — 20 nummulis prostat. — Opuscula, quae misisti, lingua nostra nota sunt lippis et tonsoribus. — De reliquis proxime.

Moderator ephemeridis STEPHANUS SZÉKELY DR. Budapestini, Üllői-út 71., ad quem litterae quaecunque mittantur.

Sumptibus moderatorum ephemeridis: Magyar Középiszkola.